347 73



DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſeptimâ menſis Februarii, anno Domini M. DCC. XLVI.

M. FRANCISCO-BIDAULT, Doctore Medico, Præſide.

An in Paronychiæ operatione celebrandâ Torcular versùs ſupernam brachii partem applicandum?

I.



MIRUM quot & quàm diverſa ſummo cùm robore maximâque agilitate perficiat manus; miranda quoque partis iſtius artificioſa fabrica, quâ omnibus, tùm ad vitæ commoditatem neceſſariis, tùm deliciis & voluptati ſervientibus, exequendis apta nata eſt; at ſemper *ipſo de fonte leporum ſurgit amari aliquid*: hæc, quæ tantùm in hominum vitâ ſpargit amœnitatis, divinæ artis ſpecimen egregium, Manus, hæc eadem dolorum, rectiùs dicam, torminum parens ſæpiſſimè videtur:

quippe quæ corporum cujuſque generis impetui patet ſemper & conſtat tamen partibus ut exquiſitiſſimo ſenſu præditis atque delicatulis admodùm, ſic & ſtrictiſſimo nexu adunatis inter ſe. Quod quidem in digitis (ut de cæteris taceam) animadvertendum etiam leviter attendenti ſe præbet. Hi namque cute veſtiuntur nerveis papillis ita refertâ & exinde tam vividâ ſentiendi facultate donatâ, ut tactûs organum in illâ potiſſimùm ſedem poſuiſſe ſuam arbitrentur omnes. Hoc veſtimento digitum denuda: tendines nerveis vaginis comprehenſos, atque ligamentoſis coercitos frænis, ubique circumjectos videbis; hos ſi auferas, *Perioſteo* ſuo cincta, ligamentiſque ad articulos munita, tria in conſpectum venient oſſicula. Omnia hæc curioſiùs inveſtigare hîc loci non eſt, & aliundè quis non ſubodoretur atrociſſimos fore naſcituros dolores, ſi ictu, acûs aut ſpinæ puncturâ aliiſque hujuſcemodi caſibus externis, vel humorum acrimoniâ & cruditate, ſanguis mox in pus abiturus ſuper cutem aut ſub eâdem congeratur, vel perioſteum inter & os colligatur, aut denique in ipſis tendinum vaginis hæreat & cumuletur? Ex hac autem quadruplici ſcaturigine ſuos ducit natales ferox illud morbi genus quod *Paronychiæ* vel *Panaritii* nomine inſignitum voluere, & cujus totidem reſpondentes locis in quibus Pus deliteſcere ſolet, quatuor tantùm agnoſcimus ſpecies, (*a*) quæ propriis diſtinctæ ſignis ſe produnt. Illarum primæ leves & periculi vacuæ topicorum ſæpe ſæpiùs cedunt virtuti, vel ad ſummum ſectiones leviuſculas requirunt; duæ verò poſteriores nunquam niſi graviſſimis ſymptomatibus, dolore nimirùm intenſiſſimo, febre, animi deliquio, convulſionibus, deliriis, brachii graviſſimâ inflammatione, abceſſu non nunquam & ſphacelo ſtipatæ incedunt, atque ægros in vitæ diſcrimen, nî tantis ferrum citò ſuccurrat malis, adducunt: in his etenim rerum anguſtiis cunctatio quævis intempeſtiva & plena pericli mora; nil proficiunt topica, ferrum anchora ſalutis, ad illud currendum quàm citiſſimè, huic hærendum ejuſque miniſterio foras eliminanda ſub perioſteo latitans vel in tendinum vaginis concluſa morbifica materies. Iſtum in finem Chirurgiam inſtituunt, quæ quàm crudelis cruciatuumque ferax ſit, præſertim cùm pus in tendinum vaginis jam altè ſerpſit, ex ſecandarum partium indole, necnon ex ægrorum repetitis ejulatibus haud erit intellectu difficile: triſtes autem iſtos clamores piis ſi excipias auribus monitum te facient, illud omne eſſe agendum hac in celebrandâ Chirurgiâ quod eam dolorificam minùs, tutamque proindè magis efficere poterit.

I I.

INTREPIDUS ſit ſemper Chirurgus jubet ratio: ne verò crudelis ſit unquam vetat humanitas. Ægrotantium fletibus adeò commoveri non debet, ut his interoperandum turbetur, ſed eorum cruciatibus ita afficiatur neceſſe eſt, ut omni ope atque operâ enitatur dolores, quos ferrum excitat, minuere atque lenire. *Unum è præcipuis ſymptomatibus in operationibus Chirurgicis mitigandum Dolor;* (*b*) hanc legem ſola non ſanxit pietas, rationem advocavit in concilium. Hinc ipſi coævum arti & in ore omnium verſatiſſimum oraculum iſtud, *quod in Chirurgicis tentas tutò, citò, & jucundè perfice;* hoc etſi de cunctis præſcriptum ſit operationibus, Paronychiæ tamen operationem potiori jure quàm cæteras omnes ſpectare videbitur illi, qui noverit eſſe ſcalpellum ad os uſque adigendum, quandò perioſteo ſubjacet pus, nuncque unâ ſectione in medio ultimæ Phalangis, nunc duabus opus eſſe in lateribus digitorum, prout vel à primâ, ſecundâ, aut tertiâ Phalange edu-

(*a*) Quinque qui admitterent Panaritii ſpecies fuêre Chirurgi, ſed erravêre.
(*b*) Vide Theſim his in Scholis 26â. die menſis Martii anni 1747, Præſide D. Doctore Couthier, propugnatam.

cenda est stagnans materia ; qui didicerit tendinis vaginam unà cum tegumentis incidendam, si purulenta ibi niduletur lympha, & tandem eò usque perducendam esse incisionem, quò pus sese insinuaverit, id est, scalpello (quòd ducit sulcatum specillum in vaginam intromissum) usque integram hanc vaginam simul & ligamentosa fræna ab apice digiti ad transversum ligamentum dividenda, ipsum nonnunquam secandum ligamentum, aut quandò sartum tectumque servari potest, sub illo specillum mittendum, suprà cujus extremum tantisper elevatum cutim ultrà ligamentum aperiendam esse, ut hac viâ effluat magna puris musculo pronatori quadrato incumbentis copia. Acerbos autem diuturnosque ex hac Chirurgiâ oriundos dolores mente capies potiùs quàm nos dicendo possimus exprimere : ne cuncteris ergò : quod eos demulcere potest securus in usum advoca.

I I I.

EN præstò tibi est Torcular ; hoc, antequàm sectionem aggrediaris, versùs supernam brachii partem applicare ne dubites : spes illicò tuas adimplebit torpor quidam istiùs machinæ ope brachio inductus, qui quidem, si, dum secantur, doloris omninò immunes non præstat corporis partes, illis saltem sensum aufert adeò, ut levissimis tantùm affici queant istæ doloribus ; nec mirum : Torcular etenim fasciâ contortili constat, hanc membro imponunt, eamque inter & cutem chartam insinuant crassissimam, si quando in animum habent, ut pars hæc plùs quàm illa vim Torcularis sentiat, tunc spleniola suprà hanc partem applicant, mox fasciæ bacillum inserunt, cujus ope fasciam hanc in modum figuræ 8 contorquent pluriès. Sunt & diversè fabrefacta Torcularia, quæ apud *Heisterum* aliosque videre est ; hic usitatius, paratuque facilius descripsimus, alia laudamus. Ex istius autem machinæ actione patet subjectas ipsi partes premi vehementer. Ponatur itaquè ad supernam brachii partem, ubi collocati nervorum arteriarumque trunci è quibus sobolescunt nervi & arteriæ omnes, queis irrigantur brachium & manus ; manifestum est nervos & arterias ita premi debere, ut vasorum istorum cava obliterentur fermè. Hinc spiritibus à parte læsâ ad Cerebrum iter præclusum, & proinde, in operatione perficiendâ, maximi doloris absentia : hinc quoque à Corde ad brachium sanguinis occlusus aditus & proindè saliente aliàs ex abcissis arteriolis sanguine interagendum non impedietur Chirurgus.

I V.

QUÆ ex propositâ methodo fluere demonstravimus commoda, tibi minoris videntur momenti quàm ut aliis agendi modis palmam arripiant ; at perpende quot bona post se trahant jam memorata commoda. Torcularis ope jam fugato dolore, ab operatione ampliùs non abhorret ægrotans, citiùsque, quam fecisset, manum tractandam Chirurgo committit tranquillus ; nec subsultibus suis secanti eidem nocet, operi-vè moras nectit, nec partes alias, quam quæ secandæ sunt scalpelli aciei exponit ; vides tutiorem, breviorem, expeditioremque nostrâ methodo fieri operationem. At, quod exoptare vix licuisset, hæc etiam mitioribus excipitur symptomatis ; dolor etenim inflammationem adauget, copiosiorem sanguinis congestionem provocat : ex istis quot alia pertimescenda mala ! Verùm Torcularis ministerio sublato dolore, ista vanescunt omnia. Quid plura ? Citiùs certiùsque sanatur inflictum vulnus. Quis ergò bonus, his omnibus pensitatis, quam proponimus methodum vulgari anteponere recusaret ?

V.

AT Torcularis uſum reformidas. Illo, ais, ſpirituum & ſanguinis benigno rore defraudantur partes ſubjectæ, & timendum ne fibræ inertes factæ ſpirituum de novo redeuntium vim experiantur incaſsùm atque paralyticæ remaneant. Verùm timorem hunc excute; tandiù brachio non hæret Torcular, quandiù neceſſe foret, ut has edere ſtrages poſſet; dubitas? Sed ad amputationem brachii oculos converte, talia poſt eam confectam accidere non videbis, Torculari tamen diutiùs conſtricta pars manet in hâc, quam in Panaritii operatione. Aſt, pergis, Torcular eſt ne applicandum, quandò tumor brachium occupat? Nequaquàm certe, ſi ad axillam uſque (quod fermè nunquàm accidit) perveniat ille tumor: ſed è contrà ſi (quod vulgò animadvertitur) ſola tumeat manus aut cubitus ſimul, tunc temporis nil obſtat quominùs Torculari utaris; tumor fortaſſis adaugebitur aliquantulùm, ſed peractâ operatione, brevi cataplaſmatibus diſcutietur.

Ergò in Paronychiæ operatione celebrandâ Torcular versùs ſupernam brachii partem applicandum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciſcus Bernard.

M. Joannes le Thieullier.

M. Jacobus Verdelhan des Moles.

M. Claudius Perſon.

M. Ludovicus-Renatus Desbois.

M. Carolus-Ludovicus Liger.

M. Ludovicus-Petrus le Hoc.

M. Antonius-Nicolaus Guenault.

M. Paulus-Jacobus Malouin, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, Regiuſque Librorum Chimicorum Cenſor.

Proponebat Pariſiis, ANTONIUS PETIT, Aurelianus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1736, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1746.